



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

Oratio ad Sanctos, ut nobis succurrant in periculis, 24

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](#)

deliciis affluens , innixa super dilectum suum ? Quæ est ista , quæ progreditur sicut aurora consurgens , pulchra ut Luna , electa ut Sol , terribilis ut castrorum acies ordinata ? Quam lata exit , festinat , currit , cum dilectum suum sibi dicentem attonitis auribus audit : surge propera amica mea , speciosa mea & veni : jam hyems transiit , imber abiit , & recessit : flores apparuerunt in terra nostra ; tempus putationis advenit , vox tururis audita est in terra nostra , ficus protulit grossos suos , vineæ florentes dederunt odorem suum.

2. Surge , propera amica mea , formosa mea , columba mea , in foraminibus petra , in cavernis maceria : ostende mihi faciem tuam , sonet vox tua in auribus meis . Vox enim tua dulcis , & facies tua decora . Veni electa mea , speciosa mea , & columba mea , immaculata mea , sponsa mea veni , & ponam in te thronum meum , quia concupivi speciem tuam . Veni , ut lateris in conspectu meo cum Angelis meis , quorum societas tibi à me re promissa est . Veni post multa pericula & labores : intra in gaudium Domini tui , quod nemo tollet à te .

C A P V T XXIV.

Oratio ad Sanctos , ut nobis succurrant in periculis .

1. Fœlices sancti Dei omnes ; qui iam transiistis hujus mortalitatis pelagus , & pervenire meruistis ad portum perpetuæ quietis , securitatis , pacis , securi & tranquilli , semperque festivi atque gaudentes estis . Obsecro .

secro vos per vestram charitatem , qui securi
estis de vobis, solliciti estote de nobis. Securi
estis de vestra immarcessibili gloria , solliciti
estote de nostra multiplici miseria. Per ipsum
vos rogo , qui vos elegit , qui vos tales fecit ;
de cuius pulchritudine jam satiamini , de cu-
jus immortalitate jam immortales facti estis:
de cuius beatissima visione semper gaudetis.
Estote jugiter memores nostri, subvenite no-
bis miseris , qui adhuc in salo hujus vitæ cir-
cumstantibus agitamur procellis.

2. Vos portæ pulcherrimæ , quæ in ma-
gnam surrexitis altitudinem , adjuvate nos
vile pavimentum longe inferius jacentes.
Date manum, & erigite jacentes super pedes,
ut convalescentes de infirmitate , fortes effi-
ciamur in bello ; intercedite : & orate con-
stanter atque indefinenter pro nobis miseris,
multumque negligentibus peccatoribus : ut
per vestras orationes, vestro sancto confortio
conjungamur ; quia aliter salvi esse non pos-
sumus. Sumus namque valde fragiles & nul-
lius virtutis homunciones , animalia ventris
& carnis mancipia ; in quibus vix aliquod
virtutis vestigium appetet. Et tamen in Chri-
sto confessione positi ligno crucis ferimus,
navigantes per hoc mare magnum & spatio-
sum. Vbi sunt reptilia , quorum non est hu-
merus. Vbi sunt animalia pusilla cum ma-
gnis. Vbi est draco sævissimus , semper para-
tus ad devorandum. Vbi sunt loca pericula-
sa, scylla & charybdis, & alia innumerabilia,
in quibus naufragantur incauti & in fide
dubii.

D 2

3. Orate

3. Orate Dominum, orate piissimi, orate omnia agmina Sanctorum, & universi cœtus beatorum, ut vestris precibus meritisque adjuti, salva nave & integris mercibus, pervenire mereamur ad portum perpetuæ salutis, & quietis, & continuæ pacis, & nunquam finienda securitatis.

C A P V T . X X V .

*Anima desiderium ad civitatem supernam
Hierusalem.*

1. **M**ater Hierusalem, civitas sancta Dei, charissima sponsa Christi; te amat cor meum, pulchritudinem tuam nimium desiderat mens mea. O quam decora, quam gloria, quam generosa tu es. Tota pulchra es, & macula non est in te. Exulta & lætare formosa filia Principis, quia concupivit Rex speciem tuam, & amavit decorum tuum, speciosus forma præ filiis hominum. Sed qualis est dilectus tuus ex dilecto, ô pulcherrima? Dilectus meus candidus & rubicundus, electus ex millibus. Sicut malus inter ligna sylvarum, sic dilectus meus inter filios. Sub umbra illius quem desideravi ecce læta fedeo, & fructus ejus dulcis gutturi meo. Dilectus meus misit manum suam per foramen, & venter meus intremuit ad tactum ejus.

2. In lectulo meo per noctem quæsivi quem diligit anima mea: quæsivi, & inveni: Teneo, nec dimittam illum donec introducat me in domum suam, & in cubiculum suum, gloria genitrix mea. Ibi enim dabis mihi